

tus sint quodammodò crasiores, & per loca densiora ac spiffiora migrent. *Remissus*, ubi tardiùs & debiliùs aër vapulat & secatur: evaporationes item rariores assunt. *Varius*, prout aër à spiritibus aliter aliterqve finditur ac scinditur. Res clara est. Sicuti enim ex homine, vox diversimodè erumpit, ex diversâ organi, per quod meat, dispositione; Sic & hîc se habet opus. *Terribilis* existit, ubi maxima halituum multitudo, loca ampliora & recurva quodammodò perrumpit.

### SECTIO III. ELENCTICA.

#### DUBIUM I.

*Qui, et undenam sint mirabiles fulminum effectus?*

§. I. Reverà admirabiles sunt illi. *Cum ratione corporum inanimatorum, tum animatorum.* Isthîc videmus vina fulmine tacta, fractis licet doliis, consistere tamen, juraqve floris naturalis intereà temporis deponere. Pelle enim circumvestiuntur, & ceu corio quodam obteguntur. Vina ipsa non insipida duntaxat, sed & bibenti exitiosa fiunt admodùm. Seneca inquit: *Vinum autem sic gelatum, cum ad priorem habitum redit, potum aut exanimat, aut dementes facit.* Exuruntur, crumenis indemnibus, nummi, campanæ, illæsis lignis sæpè ac tignis, periclitantur. Arborum nonnullarum, (quæ rariori cortice præsertim gaudent) nullo forinsecùs apparente vestigio, medulla exhauritur penitùs, marcoremqve inducit exhausta.

§. II. Hîc majora longè, &, nisi indubia prostant exempla, omnem propemodùm exsuperatura fidem, prostant. Mirabile est, quod Cardanus narrat: *Messores, inquit, in Insulâ Lemno aliquot, sub quercu discumbentes, fulmine subitaneo extincti, suas formas retinuerunt,* (mallem dixisset figuras) *ubi alter poculum ori admovens, alter panem scindens, imagines nigras, & totidem statuas representabant.* Feles, capras & canes, quàm maximè fulmen petit, Unde cum commoda, incommodaq; sua nôrint bruta, fulmine territi canes, hominum sæpè implicantur pedibus. Feles cum vi expelluntur conclavibus, in ipso nonnunquam (verba SPERLINGII sunt) tanguntur limine. Bombyces à tonitru necari, ajunt communiter. De animantibus venenosis dictum antea,